Amicissimo Mayero
S. P. D.
Bose.

Vltimæ ad me Tuæ datæ erant mille septingentis quadraginta sex
annis, ante Christum natum. Mille interim a me accepisti. In„
vincibili taciturnitate. Vtrum ad Te mea pervenerint, et ꝙ in oe
& les recherches, et an mea ad Klingenstiernam curata, scire ar„
deo. mense aprili magnus v. Musschenbroek literis incredibili
urbanitate plenis novi et tremendi sui experimenti electrici
participem me reddidit, cujus insistens vestigiis gigantæis meis
sphæris pisciculos avesve unica trucidavi scintilla. ignem
electricum jam sisto viridem, viredinis quæ vincit smaragdos,
et non scintillas modo, sed & radios ½ ulnæ longos viridissimosve
explodo. nulla pice, nullo serico, amplius indigeo. electricitas
chymica utilitates reales exercet. novus passus, nova invidia
etc: etc: Non possum, quin insani ridendive winckleriani erro„
ris causa et Te ridere curem, gaudereve. Legerant lepidi Lipsi„
enses sumsisse Musschenbr: un canon de fer. ignorantissima na„
tio, quid hoc sibi velit nesciens, è Lexico eine eiserne Canone eru„
ebat loco einer blechernen Rohre. o Corydon Corydon quæ te de„
mentia coepit. sed transeant cum cæteris mundi erroribus. modo
tristissimum hoc tempus transeat, ubi Mayerus meus mei oblitus
videtur. Salutat Te Henrietta mea, et Tuam Amaryllidem nos ambo.
Salutat et Venus hæc nostra wittembergensis, blandula, tenellula,
columbula, alabastrinis suis mammillulis. vale. meque ut spero, ut
opto, ut rogo amare perge Tuum totum. pridie Kalend: Aug:
Wagnerum salutamus.

84.v

A Monſieur
Monſieur Mayer
Profeſſeur Roial
en Matématiques,
de l' Illustre Univer=
ſité de &

p: c: à
Grypswalde